

J. B. Amat.

COLLEGIUM ISIDORIANUM,

CUM EJUS ERGA SAPIENTIAM
AMOR CRESCAT IN DIES,

HAS LOGICES THESES

PUBLICAE CONCERTATIONI EXHIBET,
TANQUAM PROGRESUUM,
QUOS IN RE PHILOSOPHICA FECIT, MONUMENTUM.

EAS SUSTINEBIT
JOANNES HERVASIUS, EJUSDEM
Seminarii trabea insignitus,

EI OPEM FERENTE
EMMANUELE PERAZA, SACERDOTE,
Theologiae Doctore, et Philosophiae Professore
Isidoriano,

Postridie nonas Aprilis anni 1802.

V. C.

PETRO A VERA ET DELGADO,

Hispalensi Canonico Poenitentiario, Isidoriani Collegii Primario Rectori,

EMMANUEL MARIA AB ARCE.

CUM primos arborum maturos fructus merito sibi cultoris vindicet manus, nullus profecto alius potest inveniri, cui hae potissimum Logicae propositiones dicentur, quam ille, qui tot, tamque magna incommoda perpessus est ad Collegas erudiendos, quique de his benemereri non desinit. ¿Quis enim unquam non dicam consequi, sed nec conari auderet novam Philosophiae institutionem apud Collegas tam difficilimis Reipublicae temporibus, nisi tu, Vir Clarissime, et Sapientissime, qui tanta erga illos benevolentia usus es, quanta potuisset parens indulgentissimus? Frequentissimi enim, et

Peritissimi hujus Ecclesiae Senatus haud paucis difficultatibus fecisti satis, et Collegarum progressuum sponsorem te ingenuum praebuisti. Jam vero beneficii magnitudinem perpendamus, per quod flagitiosissimum exulat otium, perantiquum de Collegarum in studiis profectu mysterium reseratur, novus aditus laudis optimo cuique maxime patet, Juvenes illustrantur, atque erudiuntur, ut litterarum studiis ecclesiasticaque disciplina instructi, Ecclesiam *Sanctam* excolere, *ut ait Urbanus*,(1) ac fovere valeant.

Quae cum ita sint, immortales tibi gratias, Vir Eruditissime, referre debemus, Deumque ter Optimum Maximum deprecari, ut adversis remotis auspiciis, adhuc vivens inter Superos colloceris. Vale.

Postridie nonas Aprilis anno a Servatore nato MDCCCII.

(1) Urbanus VIII. in confirm. Const. Colleg.

QUAEST. PRAELIM. AD PHILOsophiam.

1. Philosophiam, quam amorem sapientiae interpretari volumus, cùm omnibus, tum ejus praecipue amatoribus utilissimam, immò necessariam, multis rationibus suadentibus, secum tacitus quisque reperiet.

2. Auctoribus de Philosophiae origine longè inter se dissidentibus, cùm illam alii ex Chaldaeis, ex Graecis alii originem ducere contendant, nobis, Scriptorum mentem sano sensu interpretantibus, utraque sententia conciliari posse videtur.

3. Unusne, an plures Zoroastri nomine extiterint, nihil certum asseverare audemus. Illud tantummodo concedere placet, nullam quantumvis barbaram, fuisse nationem, Philosophiae naturalis prorsus expertem.

4. Opinio, quae Philosophos Ethnicos, praesertim Platonem, plurima e sacrarum litterarum codice accepisse fert, sustineri potest facillimè. Id Philosophia, quam Clemens Alexandrinus *furto surreptam* appellat, contextatur.

5. Vera Philosophia, qualem eloquentiae Romanae princeps, Marcus Tullius Cicero libro de Officiis 2. cap. 2. definivit, revera in nobis existit. Ea Philosophi non pauci abutentes, praeter alia, fuerunt in causa, cur manca, et imperfecta, et corrupta fuerit; contra vero, recto plurimorum usu ad statum meliorem redacta.

6. Libertatem philosophandi veram, prout ex Ciceronis definitione in Luc. 3. cap. accipitur, viro Philosopho existimamus dignam. Ea persaepe abuti solent, obeamque causam reprehensione digni, qui et Auctoris novitate, et maximo, quo ipsum prosequuntur, amore perducti, cùm servitutis se jugum excutere jactant, quamvis reipsa liberi non sint, liberi apud omnes haberi conantur.

7. Quae autem Philosophia omnibus anteponenda, quae posthabenda sit, si vero sensu accipiatur Ecclectica, haec prae ceteris amplectenda, adamanda, docenda.

LOGICA.

8. LOgicae naturam rectè Ciceronem explicasse dicimus, cum eam, *Artem veri, et*

falsi

falsi disceptatricem, *et judicem* definivit. Ejus divisionem, quam Jacobus Facciolatus tradit, exactam habemus.

9. Zenoni Eleatensi praeceptorum Logicalium inventionem tribuimus, eruditorum vestigia sectantes. Hic autem cùm primus esset Philosophus, qui rudimenta Logices ordine, et regulis congesta tradiderit, dignus apud omnes laudibus est habendus.

10. Ea Logicae institutio, quae in regulis Critices tradendis tota versetur; iis, quae ad argumentationem spectant, posthabitis, minus est probanda.

11. Et ea, quae remotis illis, disputationibus tota consumitur, minime amplectenda.

12. Ea vero, quae medium incedat iter, est prorsus laudabilis; quippe quae vera et sana, et omnibus, ut ajunt, numeris absoluta.

13. Quoad ejus divisionem attinet, ex quatuor, velut ipsam constituentibus, partibus conficitur. Aprehensione scilicet, Judicio, Discursu, et Methodo; his namque constans, existere potest perfecta.

APREHENSIO.

14. APrehensionem pro perceptione accipimus, et ab hac ideas quid diversum volumus.

15. Sensationem inter et imaginationem, conscientiam, et attentionem, maximum discrimen interesse putamus.

16. Qui perceptionem nil esse aliud, quàm corpoream cerebri motionem contendat, preterquam quod non parum ab scopo veritatis aberrat, et mirabiliter delirat, is turpissimis erroribus est obnoxius.

17. Nam quamvis libentissimè concedamus, pulchram cerebri partium dispositionem ad facilem, et claram; et expeditam perceptionem juvare posse, efficere ipsam negamus.

18. Attentionem, Discipulis magnopere commendandam, et singularem sermonem de ipsa instituendum, opinamur. Hac namque remota, nullus colligi fructus potest.

DE IDEIS.

19. CUM de idearum origine, tot tamque diversae sint Auctorum sententiae, ut vix duae

se-

secum conveniant; fundamenta, quibus quisque nitatur, sanus Logicus perpendere debet, ut, et quis verius dicat, facilius intelligat, et suam possit opinionem firmare.

20. Quocirca Democriticorum, et Epicureorum sententia, quae ideas ex corporum effluxionibus, quas ipsi diversis nominibus agnosci voluerunt, exoriri fert, utpote nullis solidis suffulta principiis, ut cuilibet serio meditanti patebit, longe imbecillis est, et parum rationi consona.

21. Cum Anglicanis nobis etiam confligere liceat, Thomassio Hobbessio, et Joanne Lockio, aliisque id genus minus sanis Philosophis, qui à recto veri tramite meritò aberrasse dicuntur, cùm ideas nihil esse aliud, quàm varias materiae modificationes penes diversam partium dispositionem, et dicere audeant, et sustinere.

22. Adhaec si Nicolai Malebrancii, et Guilliermi Leibnitii systemata rationis trutina ponderanda sint, nec etiam probabilia reperientur. Cùm ille; *omnia nos in Deo videre*; hic contra nos cuncta in universi totius imagine percipere, suadere conetur: utrumque decipi intelligimus, cùm neuter eorum adhuc ea solida probatione confecerit.

23. Philosophorum opinio recentiorum, qui mentem sibi ideas *ad praesentiam singularium* effingere volunt, probabilis est habenda; licet sua et gravia patiatur incommoda.

24. Quae autem Aristoteleis placet, a cordato viro exprobrari non debet, utpote quae propius ad veritatem accedat, etsi difficultatibus non paucis, ne dicam obscuritatibus, circumfusa.

25. Quoad idearum spectat regulas, eas septem peroportunas cencemus, quas Laurentius Altieri suis Logices institutionibus capite III. tradit.

26. His adjungimus, Praeceptores sedulam dare operam debere, ut Discipuli ipsas prae aliis cùm planè intelligant, tùm fideliter memoriae mandent.

DE VOCIBUS ET SCRIPTURA.

27. VOces et idearum signa esse, quae in naturalia, et arbitraria dividimus; et necessarias, quibus hominum conceptus ceteris patefiant, deffendimus

28. Perfectus propterea Philosophus evadere nequit, si perfecta vocabulorum careat cognitione.

29. Logicus igitur, is praesertim, qui docendi munus suscepit, vocabulorum usus, interpretationis, et naturae scientia pollere debet, ut Auctores, quos evolvat, ritè calleat; et quas ab ipsis ideas, et notitias acceperit, tyronibus perspicue tradat.

30. Vocum significacionem non ex naturae vi, ut olim Heraclitus, et Cratylus apud Platonem opinabantur, sed ex hominum instituto oriri sentimus: cùm nobis ita faveat ratio, ut plurima ex diversis Auctoribus selectis argumenta petita, patefaciant, firment, conficiant.

31. Si de linguarum origine sermo instituatur, nihil affirmari potest certò. Quae autem in re hacce ab aliquibus agitari solent, nimirum primitivam linguam Hebraicam fuisse; unum omnino idioma homines ante Babelicam confussionem locutos: ad unicam linguam omnes revocari pose Nationes, idque genus cetera consimilia, non ita magnam Logico utilitatem, hujus fine, et officio perspectis, afferre fatemur.

32. Qui epocham fuisse contendat, qua homines sine articulatis vocibus, pecudum ritu, vixissent, eum ab humanitatis principiis dicimus abhorrere.

33. Qui etiam, soboles filiorum Noachi ser-

sermone, humanitate, et Religione exutas, testetur; fulmine deinde perculsas ad Divinitatis notitiam devenisse, fabulis potius, quam verae historiae temere assentitur.

34. Etsi contra vocabulorum abusus remedia plurima, prout unicuique respondeant, adhiberi possint, illud potissimum, quod canone, qui subjicitur, continetur: eorum nimirum significationem ex communi vocum ipsarum usu apud loquentis mentem, et Nationem, et Sectam recepto, contrahere, et accipere.

35. Scripturam perinde ac voces idearum, et rerum signa esse, luce meridiana clarius. Ipsam addimus significare semper, etiam Hieroglyphicis, et figuris, Aegyptiorum more, contentam.

JUDICIUM.

36. CUM mens, quas comparavit ideas, alias aliis conferat, num inter se conveniant, necne, actionem hance judicium nuncupamus: ejus propterea natura in affirmatione constituanda est, aut negatione.

37. Hanc minus perspectam Cartesius habuit, cùm nullius fere roboris argumentis perductus

ductus, ad voluntatem, et non ad intellectum referendam contendit.

38. Quoad judiciorum spectat defectus, tot, tantisque persaepe judicia nostra faedantur, ut vix, qui rectè judicet, unus. Nam cùm ex sensibus, ex intellectu, ex voluntate et affectibus, ex corpore, ex causis tandem plurimis externis oriantur, quis unquam liber exstiterit?

39. Quae Aloysius Antonius Vernejus libro 5. cap. 5. (ubi de voluntatis agit affectibus,) de philautia, de zelotypia, de spe, de ambitione, de avaritia huic simillima, de timore, deque ira postremò tradit, velut satis notos judiciorum defectus, probamus.

40. Et quid amplius? Hunc praedicti Auctoris tractatum, etsi praeter ipsum alii aeque elaborati existant, Praeceptoribus mandamus, ut cùm de judiciorum defectibus in aulis agatur, Discipulis prolixius tradant, et velut observatione dignum prorsus commendent.

41. Quae etiam Auctor ipse libro eodem cap. 6. de tarditate nostra, de perversa methodo, de praejudiciis, necnon de Parentibus, de Magistris, et de nutricibus docet, (quin in eam, quam affert criticam, oculos conjiciamus) magni habenda, sentimus.

42. Si de regulis ad judiciorum rectitudinem pertinentibus sermo sit, eas sex probamus, quas Antonius Goudinus articulo 4. parag. 3. legentibus offert.

43. Strictum Scepticismum, quem Renatus Descartes per universalem dubitationem constituere conatur, utpote rationi absonum, et veritatis inventioni noxium, improbamus.

DE VERITATIS CRITERIO.

44. Minus rectè aget, qui veritatem perquirere velit absque *veri et falsi regula*, qua velut lydio, ut ajunt, lapide illud ab hoc dignoscere valeat; hanc dicimus veritatis criterium.

45. Criterium apud Epicuraeos, Stoicos, Scepticos, et Academicos usu receptum, non ita firmum judicamus, ut tanquam *veri et certi nota* et statuendum sit, et prae oculis habendum.

46. Qui in iis, quae ad Fidem spectant Divinam, humanam rationem legitimum criterium constituunt, praeterquamquod atris Manichaeorum, et aliorum notis inuruntur, nec id rationibus solidis suadent, nec suadere poterunt.

47. Pro intelligibilibus veritatibus dijudicandis

dis evidentiam rationis, optimum criterium; in iis autem, que intra sensationis sphaeram concluduntur, modò sensuum recta sit dispositio, horum evidentiam; in iis vero, quae ad historiam attinent, Auctoritatem humanam habemus.

48. Qui sensus fallere, et falli posse dicat, minus exactè loquitur; illos enim numquam errare posse, cùm Jacobo Facciolato sentimus.

DE CRITICA.

49. CRiticam *Artem de aliorum scriptis judicandi*, definimus. Ipsam etiam ad judicium de factis ferendum, Scriptorum opera dignoscenda, loca corrupta emendanda, atque interpretanda plurimum interesse cencemus.

50. Eam non recte Joannes Clericus definivit, (1) Artem Criticam, inquiens, in veterum scriptis intelligendis, et genuinis ab spuriis dignoscendis tantum versari: silentio namque praeteriit recentiorum scripta, et facta.

51. Cùm haec ad rectum efficiendum judícium etiam accedat, quippe quae non paucas suppeditet regulas, quibus de factis, et scriptis rectè

(1) De Arte Crit. in Praef.

rectè judicare possimus, ad Logicam et refferri potest, et refertur.

52. Ejus propterea utilitas non modò in iis, quae ad Philosophiam, sed etiam quae ad pietatem attinent, maxima. Hoc natura docet, ratio suadet, auctoritas tuetur, experientia confirmat.

53. Hinc vir eruditus, qui Critices Arte floruerit, omnium fere saeculorum serie testante, maximos Ecclesiae, et reipublicae fructus attulit.

54. Qui vero exactus Criticus evadere cupiat, judicio recto, ingenio, perspicuitate, sagacitate, et memoria tenaci, velut veri Critici characteribus, polleat necesse est.

DE ARTE HERMENEUTICA.

55. CUM Auctores plurimi modò breviter, modò obscurè, modò ambiguè, quaedam elaboraverint, dum eorum sensum expendere volumus, Hermeneutica Arte uti debemus.

56. Quae in librorum versione, et eorum interpretatione, prout nostra, et omnium, saltem quos legerim, opinio fert, praecipuè exercetur.

57. Eam in definitivam, inventivam, et dispositivam, cùm Sixto Senensi Bibl. Sanc. lib. 3. recte dividimus.

58. Menda, quae in libris persaepe animadvertuntur, Librariis, criticis non re sed nomine, deceptoribus, et vetustati meritò tribuenda sunt.

59. Libri de quorum integritate dubium sit, cùm manuscriptis codicibus conferantur. Hoc enim medium, ut intentum expleatur, opportunum satis habemus.

60. Hermeneutices, et Critices regulae, quae semel ex Auctoribus addiscuntur, memoria sunt retinendae. Critici praesertim, et Philologi è memoria elabi non patiantur.

DISCURSUS.

61. Discursus tertia mentis operatio actus est ille quo ex pluribus notis judiciis ignotum aliud cùm illis connexum deducimus. Oratio qua id fit, dicitur argumentatio, cujus recta definitio apud M. Fabium Quinctilianum libro 5. cap. 10. reperitur.

62. Ratiotinationem, cùm nobis ejus definitio, et commune intellectus nostri munus faveant,

veant , ita menti humanae propriam sentimus, ut nulli alteri intellectuali naturae aptari arbitremur.

63. Sillogismorum in veritate inquirenda usum , licèt Verulamius, Gassendus, et Lockius funditus evertere sint conati , non solum Scholastici, sed etiam ab ipsa Philosophiae instauratione Logici politissimi, omni re Geometrica, et Philosophica ornati, quos Baldinoti lib. 3. cap. 4. subjectis notis connumerat , modò sedulo caveantur extrema, libentissime probarunt.

64. Sed etiam dicere audemus, nec in Italia Galilaeum , nec Baconum in Anglia, nec Helmontium in Belgio , nec Gassendum in Gallia, *qui* (ut Facciolati verbis utamur) *antiquis repagulis tandem aliquando refractis* , *studiorum pomeria magno animo protulerunt*, Syllogismorum penitus usu remoto , parum utilitatis scientiis afferre potuisse.

65. Syllogismum in demonstrativum , probabilem , et Sophisticum dividimus. Qui demonstrativis assentiatur praemissis, conclusionis assensum cohibere non poterit , quippe cum maximus inter hanc et illas, nexus intersit.

66. Demonstrationem , quam *a priori et à posteriori*, *directam*, *et indirectam*, ut Schola lo-

loquitur, agnoscimus, semper intellectum plenè, ac planè convincere sustinemus.

67. Scientiam apud nos existere, adversus Scepticos propugnamus, quin Dogmaticorum deliria probemus, utrique enim in maximum labuntur errorem.

68. Haec non nobis natura indita, ut olim opinabatur Plato, sed viis duabus, inventione scilicèt, et disciplina comparatur, perficitur, et augetur.

69. Opinionem, Scientiam, Suspicionem, Dubitationem, et Fidem, omnium definitionibus ob oculos positis, et ritè perpensis, longe inter se differre, judicamus.

DE PROBABILITATE.

70. PRobabilitas, si apud Philosophos res agatur, in iis quae ad Fidem non attinent, non ex auctoritate, sed ex rationum pondere aestimanda est. Neque id debet in causa esse, cur in auctoritatem summorum Virorum maxima probra assiduè congerantur.

71. Si de probabilitate historica sermo sit, ut fides testi securius habeatur, tria haec, quae sequuntur, expendenda sunt, qualitas nempe tes-

tis,

tis, res deinde narrata, modus tandem narrandi.

72. Quoad regulas spectat, quae de omnibus, et singulis hisce tribus apud Logicos leguntur, ne multis moremur, eae quas Vernejus lib. 5. cap. 2. adfert, nobis placent omnino.

73. Cum ad probabilitatem Hermeneuticam, et moralem, et physicam accedimus, quippe omnia persequi longum foret, paucis dicamus: earum nimirum tractatus, et canones, quoniam plurimum ad rectum discursum efficiendum conferant, magnum adjumentum Logicis cunctis adferre.

DE FALLACIIS.

74. DE Sophismatibus in aulis tum vel maxime agi volumus, adeo enim concertatoribus utilia putamus, ut nihil supra.

75. Ipsa propterea, et media, quae ad ea internoscenda, et diluenda traduntur, memoriae mandanda, et ab ea illico poscenda modò cum adversariis disputandi sese offerat occasio.

76. Eorum numerationem, divisionem, et canones exactos, qui accipere velit, Salvatorem Mariam Rosselli quaestione 31. pervolvat: hic namque vir in primis eruditus cuilibet hac super re legenti faciet satis.

ME-

METHODUS.

77. CUM mens nostra tanta non sit perspicuitate praedita, ut veritatem quandoque reconditam delegere valeat, quin plurima, quae ad rem sint, ordine distribuat, *recto*, *et ordinato procedenti modo* uti quidem debet; qui a Logicis *methodus* nuncupatur.

78. Et quoniam ad veritatem inveniendam plurimum conferant compositio, et resolutio, quibus, prout materia patiatur, utendum est, Methodum, in Synteticam, et Analitycam jure dividimus.

79. Regulas, quae de utraque ab Auctoribus selectis traduntur addiscere, atque docere perutile sustinemus; praesertim, quae de Analytica apud Antonium Genuensem Arte Logico-Critica capite 8 leguntur.

80. Ad studiorum progressum adeo est Methodus necessaria, ut licet quis ingenii acumine, et memoria plurimum valeat, dum methodus absit, perparum proficiet.

81. Plura certè caventur incommoda, si discipulis audientibus, et non scribentibus, sicut pau-

paucis abhinc annis fiebat, Auctoris constituti doctrina tradatur.

82. Disputationes in aulis instituantur, et verus concertandi modus edoceatur opportet: et cum hoc in genere peccent non pauci, solida praecepta discipulis tradantur, et observentur.

83. Cui sanas proinde disputandi regulas perlegere placeat, Petri van-Musichembroek Logicae institutiones adeat. Tot namque mira, et observatione dignissima, quoad defendentem, et argumentantem attinet, cap. 11. de disputandi methodo tradit, ut non solum discentibus, sed etiam docentibus evolvenda sinit.

84. Modus disputandi Socraticus, qui a Teodoro de Almeida tom. 7. rectè describitur, perquam utilis, ne dicam nessesarius persaepe habebitur; nam si manus conserere cum Sophistis eveniat, qui eo fuerit usus, vel fugabit illos, vel obmutescere coget.

85. Adversus eos etiam pugnat, qui in disputationem adducti conviciis potius, quam rationibus suadere pertentant. Magnos igitur clamores inter argumentandum renuimus, cum vocum contentione,nec argumentum plus vigeat, nec sese acuat ingenium; sed contra potius, millies obtundatur.

86. Qui his quatuor Logicae partibus plene fuerit imbutus, nil ei superest aliud, nisi ut Arithmeticae, et Geometriae, cum planè, tùm solide elementa discat, ut his tanquam necessariis perfectè eruditus, Phisicam deinde possit audire.

HISPALI:

APUD D. JOSEPHUM BRACHIUM.

